

inimicum est stomacho, & solet producere vomitum, propter levitatem, *Cardialgiam* &c. Propterea corrigi solet admisso pulvere Zingiberis. Item cum sit tarda operationis, & leniter solet evacuare, solemus admiscere ceterum *Qrum* *Etum*, *S. Q.* & similia alia, quæ stimulorum loco adduntur. Inter PRÆPARATA se offert **EXTRACTUM AGARICI**, quod paratur nunc per menstruum spirituosum v. gr. spiritum vini, nunc per menstruum ∇ osum, dum infunditur in ∇ app. opriatam. Hic quænam præparatio si melior, quæritur? vid. *ZWOELFERS*, in animadversionibus in *Pharmacop. Augustanam*, qui controversiam decidi: pro menstruo spiritoso, spiritu nempe vini! non tamen sic nimis fecundatus, sed quali quali phlegmate adhuc impregnatus, unde eò felicius & melius extractionem suam perficient. **AGARICUM TROCHISCATUM**; de hoc observetur, quod sæpius substituitur loco agarici crudi, quoniam ejusdem malignitas aliquantisper corrigitur per admittum Zingiber, & propterea tutius usurpatur Trochiscatum hoc loco simplicis, quando miscetur pro infusione & decoctione. Trochisci de Agarico qui fiunt cum oxymelite: Nam per hoc optimè corrigitur malignitas & venenositas in Agarico, & antiqua est præparatio: abstergendo enim & incidendo pituitam adjuvat & faciliorem reddit Agarici operationem. Deinde ratione aciditatis in oxymelite malignitas agarici optimè corrigitur. **PILULÆ DE AGARICO** sunt simplices vel compositæ, quæ posteriores dicuntur *Pilula de Hierâ cum Agarico*, & conveniunt in evacuandâ materiâ mucilaginosâ, crassâ & viscidâ intestinorum & stomachi, & quidem in hoc expertæ sunt pilulæ de hierâ cum Agarico, dum stomacho admodum sunt dicatæ. In dosi tarò ascendimus ad \mathfrak{zj} . & non transcendamus, sed additur stimulus, sæpius infra \mathfrak{zj} . subsistimus, sunt enim satis violentes.

ASARUM.

HOc asarum, quod satis est notum, subministrat radicem & folia, **RADIX** est vomitorium, & secessum potenter satis movet. Observetur tamen & hoc, quod pro varietate collectionis & præparationis modò plus modò minus vel per secessum vel per superiora operatur. Sic si radix evellatur sursùm versus, vomitum movet, si verò folia decerpantur inclinando super terram, & radix effodiatur per foramen inferius factum, per inferiora purgat. In substantia \mathfrak{zj} . pulv. Rad. asari potenter movet vomitum & interdum per secessum evacuat. Radix asari propter vim vomitoriam quartanas compescere dicitur, utpote quorum fundamentam curationis consistit in vomitu, si pulv. ad \mathfrak{zj} . assumatur. Pulvis tamen hic variat in operatione, ratione præparationis. Quo enim tenuius pulverifatur, eò efficacius menses & urinam movebit, uti & vomitum, sin verò minus accuratè pulverifetur, movebit solum modò alvum sine ventriculi subversione. **DECOCTUM** etiam præparatur vel in vino vel in ∇ . simplici: si decoquatur in vino, retinet vim vomitoriam & catharticam, si verò decoquatur in ∇ . communi, loco Emetici fit *Diureticum*, in morbis Chronicis & febribus intermittentibus Chronicis potestas remedium: cujus decocti inventionem debemus *HÉLMONTIO*, quod ipsum confirmat *ZWOELFERS*, in *Pharmac. Reg.* Et quidem tale decoctum asari in ∇ . ita ut bulliat est expertum remedium contra scirrhus viscerum, quos potum attenuat, resolvit & colligat, & uti dixi in substantiâ non mi-

nus, quàm in decocto, est *Panacea quartanorum & febrium intermittentium Chronicarum*. In substantiâ pulv. in decocto radix cum vino: Ulterius in scirrhis tumoribus, imprimis lienis, mirabile est ejus decoctum, quia eos attenuat & potenter \square . movet. Unde etiam radix asari decocta in Hydromelite & epota omnem pituitam pulmonum resolvit, & *Asthma ac Tussim* potenter abigit: Si decoquatur in acet. non minorem virtutem obtinet vomitoriam, quàm si decoquatur in vino. Unde si fiat oxymel radice asari, conducit in affectibus stomachi, & in febribus intermittentibus Chronicis pro vomitu. Aliàs etiam radix asari multi est usus in movendis mensibus in ∇ . decocta, additis imprimis simul etiam aliis specificis: si adhibetur radix in substantia, datur à \mathfrak{zss} . ad \mathfrak{zj} . in infuso & decocto verò à \mathfrak{zj} . ad \mathfrak{zij} . Fuit radix. Sequuntur nunc **FOLIA**, quæ non minus purgant quàm radix: recipiuntur fol. 3. 4. vel 5. pro varietate circumstantiarum, teruntur, & in vino albo per noctem macerantur, de quo \mathfrak{zij} . vel \mathfrak{lv} . propinata egregiè movebunt vomitum, & commendantur ad febres intermittentes, dum adhuc sunt in principio. Alii recipiunt folia 3. vel 4. confusa, quæ permiscet cum aliquot Unciis vini, digerunt, exprimunt, & propinant pro felici vomitu. Ceterum præter virtutes spleneticas & diureticas egregium etiam est specificum remedium ad affectus aurium, si scil. specificis addatur ad auditum laesum, dum folia ex signaturâ representant aures. **ESS.** ejus vel decoctum sub formâ suffitus auribus exceptum ad auditum laesum & tinnitum aurium pro sunt: alii lixivio, in quo coctum fuit Asarum, avant caput, & specificum dicunt ad Catharros quoscunque, in specie si affligant auditum, & audiendi impotentiam auferunt, & hinc auditum & memoriam confortare credunt.

BRYONIA.

IN specie illa species, quæ vocatur **VITIS ALBA**, & usitatiùs præscribitur vitis alba quàm Bryonia: ubique crescit: Dicitur vitis alba, quoniam instat vitium ambit a borem, & ascendit ad illarum summitatem. Usitata **RADIX**, quæ est specificum purgans hydropicorum & similibus morborum, ubi est nimia copia feri vel lymphæ, dum potenter eandem per superiora & inferiora solet evacuare cum aliis mistis. Unde **SUCCUS RADICIS BRYONIÆ** & exinde paratus **SÛRUPUS** valdè usitata sunt ad eundem hydropem. Post hydropem etiam specifica est in affectibus uteri. Unde quando opus est expurgatione uteri, recipitur radix Bryoniæ & adhibetur sub formâ pessi uterini: Radix item hæc, vel succus ex eâ solet provocare menses & fetum mortuum, quod etiam facit suffitus per decoctionem. **SÛRUPUS BRYONIÆ** etiam multum conducit in enecandis vermibus & animalibus aliis ex stomacho & intestinis evacuandis. Illustre hujus rei exemplum habebitis in *BARTHOLINI*, Cent. 4. hist. 19. ubi habet exempla lacertarum, butonum & ranarum per vomitum rejectarum, assumto succo rad. Bryoniæ & rad. Ireos. Est historia observatu & lectu dignissima, ut videatur, quantum valeat succus rad. Bryoniæ & rad. Ireos ad talia animalia, ex intestinis prolicienda: Unde iis, qui scætant lumbricis & aliis variarum formarum vermibus, vel quorum in intestinis viva stabulantur animalia, lacertæ, bufones, ranæ & similia, nihil magis conducit quàm succus vel pulv. Rad. Bryoniæ, quoniam illi enecat & expellit. Hoc etiam duobus gregiis exemplis confirmat *FRETAG.* 112